

1169.

1296 d. 9 Aug.

Säfsund.

Konung BIRGERS Skyddsbrief för Wreta kloster.

A. 3.

BIRGERUS Dei gracia sweorum Gothorumque Rex. Vniuersis presentes litteras inspecturis, Salutem in domino sempiternam. Regalis benignitas religiosa loca ex asuete pietatis clemencia propensius diligere consuevit, & ne prauorum hominum molestiis agitantur, ea tenetur protectionis sue munimine confouere, vniuersis igitur tam presentibus quam futuris volumus esse notum. Quod nos considerantes honestam vitam & religionem laudabilem cui quantumcunque de benignitatis gratia ad tempus effundimus, ipsi regi regum omnium exhibemus, de cuius munere viuimus feliciter & regnamus, de liberalitatis nostre gracia & intuitu retribucionis eterne religiosas dominas abbatissam totumque conuentum de ruetum cum omnibus bonis ipsarum mobilibus et immobilebus, villicis, Colonis, familiis et personis ceteris in eisdem bonis commorantibus, sub nostre protectionis presidium recipimus speciale. Reddentes memoratas dominas, cum omnibus bonis & personis superius dictis ab omnibus Juribus & causis regalibus solucionibus videlicet spannamalæ, ledhunxlamæ, ac exhibucionibus quibuscunque juri nostro & nomini debitibus liberas penitus & exemptas Si vero expedicionem nostram generaliter euocari, seu iudicium nostrum vel corone iuramentum infringi, siue eciam subsidium generaliter a toto regno requiri contigerit, ista ipsis nullatenus libera reddimus, sed ea ad ordinacionem nostram & ad fiscum regium specialiter volumus pertinere, Prohibentes firmiter & districte, ne quis ipsas in rebus aut personis aliquibus prenotatis contra premissam tuicionem nostram & libertatem quas eis concedendas duximus, audeat aliquatenus molestare, sicut graciæ nostram diligit inoffensam, A factura autem & reparacione nauium expedicionis nostre nullatenus sint exempte Datum siuæsundum, anno domini M° CC° Nonagesimo sexto jn vigilia beati laurencij Martiris.

Sigillen krossade.

1170.

1296 d. 9 Aug.

Anagni.

Påfven BONIFACIUS VIII:s Skyddsbrief till Presterskapet och folket på Gotland.

F. 1: 352. An. 2. Ep. 472.

BONIFACIUS Episcopus Servus Servorum Dei. Dilectis Filiis Clero et Populo Insule Gutlandie, Salutem &c.

Sacrosancta Romana Ecclesia devotos et humiles filios, ex assuete pietatis officio propensius diligere consuevit, et in pravorum hominum molestiis

stiis agitantur, eos tamquam pia mater sue protectionis munimine confovere. Ea propter dilecti in Domino filii vestris justis precibus inclinati ad instar felicis recordationis Gregorii Noni, Innocentii Quarti, et Gregorii X. Predecessorum nostrorum Romanorum Pontificum personas vestras cum omnibus bonis, que in presentiarum rationabiliter possidetis aut in futurum prestante Domino poteritis adipisci sub Beati Petri et nostra protectione suscipimus, auctoritate presentium inhibentes, ne quis libertatem vestram obtentam hactenus ac pacifice observatam presumat temere perturbare. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre protectionis et inhibitio-  
nis &c. Datum Anagnie V. Idus Augusti Anno Secundo.

1171.

1296 d. 9 Aug.

Anagni.

Påfven BONIFACIUS VIII:s Bulla till Presterskapet och Kyrko-Patroner på Gotland med stad-  
fästelse på deras gamla sätt att tillsätta Kyrkoherdar.

B. 3: 41. v.

BONIFACIUS &c. dilectis filiis. clero & patronis plebium ecclesiarum insule gutlandie lincopensis dyocesis salutem &c. Justis petencium desideriis dignum est nos facilem prebere consensum & vota que a rationis tramine non discordant effectu prosequente completere Eapropter dilecti in domino filij uestris iustis supplicacionibus grato occurrentes assensu rationabilem consuetudinem & hactenus pacifice obseruatam quam circa eligendos & preficiendos prepositos & presentandos plebanos & rectores in preposituris plebibus et ecclesiis non collegiatis insule gutlandie lincopensis dyocesis quando vacant vos habere proponitis sicut eam iuste & pacifice obtinetis ad instar felicis recordacionis jnnocencij III:ti & gregorij X:mi predecessorum nostrorum romanorum pontificum auctoritate uobis apostolica confirmamus & presentis scripti patrocinio communimus Nulli ergo &c Siquis autem &c Datum anagnie V. jds augusti pontificatus nostri anno secundo.

1172.

1296 d. 10 Aug.

Säfsund.

Konung BIRGERS Bref om befrielse från Kongl. utskylder af Wårfruberga Kloster gods.

A. 3. k.

BIRGERUS Dei gracia Sweorum Gothorumque Rex, Omnibus presentes litteras Jnspecturis salutem in domino, Regalis benignitas religiosa loca ex assuete pietatis clemencia propensius diligere consuevit et ne prauorum hominum molestiis agitantur ea tenetur protectionis sue munimine confo

Sv. Diplom. II.

28